

comprehenduntur, quae de applicatione seorsim dici possent, ergo brevitatis studio de solis legibus gratitudinis agemus. Divus Paulus Col. II. 6. 7. hanc inculcat regulam: *Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate. Radicati et supraedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.* Postrema verba ita *παραφρασι* HAMMONDVS: *Ita pergite, prout coepistis, virtutesque omnes Christianas excolite, et ea ratione vos Deo gratias habere ostendite, ob Evangelium vobis revelatum, aliaque beneficia ab eo accepta.* Nimirum gratitudo, quam Deo debemus pro Evangelio, non in animo et ore unice subsistit, sed extenditur ad omnem vitam sanctam. Huc pertinet monitum Pauli Phil I. 27. *ἀξίως τῆς Ευαγγελίας τῆς Χριστοῦ πολιτευεσθε.* Sancta haec gratitudo et perpetua esse debet et perfecta. Perpetua, quia relapsi dicuntur *Filium Dei conculcare, et sanguinem foederis, per quem fuerant sanctificati, profanum ducere* Ebr. X. 29. quae est turpissima ingratitude. Perfectam obedientiam, adeoque etiam gratitudinem Lex divina aeterna et immutabilis requirit: cum vero haec ob reliquias Peccati connati in hac vita sit impossibilis; ideo etiam Sancti in renovatione sive poenitentia quotidiana culpam ingratitude erga Evangelium in se reperiunt, ejusque remissionem in merito Christi quaerunt.

§. X.

Discrimen legis
circa Evang.
ab Evang.

Sufficiant haec specimina legum divinarum circa Evangelium. Ne vero, quod saepius factum, consideratio harum legum confusionem legis et Evangelii causetur; ideo quod in ipsis Lex et Evangelium ita videantur permisceri, ut dubium ferme sit, an illa, an hoc potiores partes habeat, discrimen legum harum circa Evangelium ab ipso Evangelio paucissimis sed planissime indicabo. Non repetam, quae §. V. dicta sunt, sed illud tantum

tum